AUGUSTINUS. ISIDORUS HISPALENSIS. REGULAE MONACHORUM
2. Hälfte 12. Jh. Seite 21r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=772
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Vnde & nocturne fantasie inhoneste et turpes accedunt nobis.

Veniunt quidem maxime he ex diurnis animi motibus. & actibus indignis. et incongruis. Si enim uacet in iudiciis dei. & expurgetur anima per meditationem legis diuine. & studium uerbi dei. ibique indesinentem curam gerat semper requirens & scrutans quid sit quod placeat deo. talia habebit etiam per somnia.

Qualiter affectu debemus infirmis fratribus ministrare.

Sicut ipsi domino obsequium offerentes. qui dixit quia quecumque fecistis uni ex his minimis fratribus meis. michi fecistis. Expedit autem ad conseruandum huiusmodi affectum. in obsequiis ut & hi qui obsequium a nobis suscipiunt tales sint. quibus merito obsequium defferri debent. Et ideo oportet eos qui presunt curam gerere. ut ne hi quibus ministratur tales sint qui carni indulgeat & uentri. sed potius in amore dei. et xpi eius probabiles inueniantur. & per patientiam suam. ac uite meritum. fratrum mereantur obsequia. ut habeantur ad gloriam xpi. et ob probrium habuli. sic fuit. & sanctus iob.

Cum quali humilitate debet quis suscipere a fratribus obsequium.

Sicut seruus a domino. et sic ostendit petrus apostolus cum ei dominus ministraret. in quo simul etiam periculum eorum qui uolunt recipere obsequia fratrum docemur.

Qualem debemus habere caritatem ad inuicem.

Qualem dominus ostendit. & docuit dicens. diligite inuicem sicut & ego dilexi uos. Maiorem hac caritatem nemo habet. quam ut animam suam ponat quis pro amicis